



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Inquirenda nunc initia Vicariatus Thessalonicensis, ut possimus cujus primùm Romani Pontificis beneficio debeatur. Veteres ad Damasum referunt. Recentiores quidam negant; adeo ut inventus sit qui ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

tradendum non esse beato Petro in his provinciis, respexisse videtur ad locum ex epistola Bonifacii ad Rufum Episcopum Thessalonicensem, quem supra retulimus, in quo vicariatus dicitur Ecclesie Thessalonicensi concessus fuisse à beato Petro. Respexit etiam haud dubie ad epistolam Leonis primi ad Anastasium Thessalonicensem. Nam Leo statim in initio illius epistolae vicariam illam potestatem à beato Petro reperit, sic tamen ut etiam se nonnulla concessisse doceat. *Quanta fraternitati tue, inquit, à beatissimi Petri Apostoli auctoritate commissa sint, & qualia etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres & iusto examine ponderares, multum possemus de inuncte tibi sollicitudinis devotione gaudere.* Unde etiam colligi potest vicariatum illum aeterna lege concessum fuisse Ecclesie Thessalonicensi, ita ut quicumque sedis illius Episcopus esset, is Legatus natus esset Romani Pontificis in Illyrico, ut illustrissimi Archiepiscopi verbis utamur. Vidit ista Dionysius Exiguus, suaque etiam attestazione docuit fixam fuisse illam dignitatem, hoc lemma apponens primo capituli istius epistolae Leonis ad Anastasium: *Quod semper Thessalonicensis antistes vices apostolicae sedis impleverit.* Quod non ita tamen intelligendum est ac si dicere voluisset Dionysius Thessalonicensem antistitem fuisse sedis apostolicae Vicarium in Illyrico in initium susceptae à Romanis fidei fundataeque apud ipsos cathedrae. Illud enim tantum dicere voluit, ex quo primum tempore dignitas illa conlata est Ecclesie Thessalonicensi, ab ea nunquam fuisse divisam, & sedis illius Episcopum semper ab illo tempore vices apostolicae sedis implevisse. Respiciebat enim ad initia vicariatus, & ad aetatem suam, qua vivebat adhuc ea auctoritas in Episcopo Thessalonicensi.

I X. Denique Iustinianus Imperator cum prima Iustinianae antistitem ad eam omnino dignitatem evehere cogitaret quam Thessalonicensis obtinebat in Illyrico, etiam vices apostolicae sedis ei aeterna lege committi à Vigilio Papa obtinuit per sex provincias Illyricanas. Ait enim in Novella constitutione cxxxi. constituere se ut is qui pro tempore fuerit Archiepiscopus primae Iustinianae, habeat semper sub sua jurisdictione Episcopos illarum sex provinciarum, & ut in subiectis sibi provinciis locum obtineat sedis apostolicae Romae, secundum ea quae definita sunt à sanctissimo Papa Vigilio. Certè sanctus Gregorius vices suas delegans Archiepiscopo primae Iustinianae, ait se id facere *juxta morem*, ut adnotabimus infra. Verutam porro consuetudinem magni momenti

esse in istiusmodi rebus diximus supra, & iterum repetemus in causa Ioannis Episcopi Nicopolitani. Itaque ut ad id redeamus unde digressi sumus, modus agendi quem in hac causa usurpavit Iustinianus satis evincit vicariam Thessalonicensis Episcopi dignitatem fuisse perpetuam, ita ut ille qui Thessalonicensem Ecclesiam pro tempore regebat, eo ipso esset apostolicae sedis Vicarius, cum ad istius exemplum Iustinianus eam praerogativam antistiti patriae suae procuraverit.

C A P V T XXIII.

Synopsis.

I. Inquirenda nunc initia Vicariatus Thessalonicensis, ut scire possimus cuius primum Romani Pontificis beneficio debeatur. Veteres ad Damasum referunt. Recentiores quidam negant; adeo ut inventus sit qui Nicolaum primum argueret mendacij.

II. Referuntur verba Nicolai, simulque docetur locum ejus esse corruptum ac mutilum.

III. Auctoritate etiam Ioannis VIII. confici potest initia Vicariatus istius referenda esse ad Damasum.

IV. Probatum praeterea ex Innocentio I. qui suppar Damaso fuit.

V. Adversus illorum testimonia opponi potest epistola Siricij, qui vices suas delegans Anyfio, nullam Damasi mentionem facit. Praeterea Leo I. repetens initia istius Vicariatus, à Siricio incipit, omisso Damaso. Sed controversia illa facile componitur, explicato loco Leonis.

VI. Frustra se torquent qui quarunt utrum Acholius Illyrici Primas à Damaso constitutus fuerit ante Concilium Aquileiense. Ratio Hallerij ut ostendat eum Damasi Vicariatu ornatum non fuisse anno 382.

SUPERATIS tandem tot difficultatibus quibus obscuratus erat vicariatus Thessalonicensis, inquirenda nunc sunt initia ejus, ut sciamus cuius primum Romani Pontificis beneficio tantam auctoritatem deberent Episcopi Thessalonicenses. Negotium illud antiqui Pontifices uno verbo definiunt, eam liberalitatem referentes ad Damasum, cujus tempore Acholius & Anyfius Thessalonicensem cathedram tenuerunt. Contrà, recentiores nonnulli, cum viderent non extare Damasi rescripta de vicariatu Episcoporum qui apud Thessalonicam fuerunt illa aetate, illum negarunt istius rei auctorem fuisse; quinimo inventus est qui Nicolaum primum argueret mendacij, initiaque vicariatus istius referret ad Bonifacium Papam istius nominis primum. Aliter & hi & iste sensissent, si durassent in hac ultima beatissimi seculi tempora, vidissentque editas ex archivo seu bibliotheca sedis apostolicae epistolas illas veterum Pontificum quas commemorat Nicolaus, inventas à clarissi-

mo viro Luca Holstenio. Illarum nos auctoritate vindicatorum Nicolaum sumus à suspicionem mendacij, simul ostensuri vicariatum Episcoporum Thessalonicensium incepisse à Damaso, sed à Siricio certa ratione firmatum fuisse.

II. Antequam verò illarum epistolarum testimoniis utamur, lubet heic describere locum ex epistola Nicolai, utpote qui manifestè respiciat ad epistolas editas in Collectione Holstenij. Sic igitur scribit Nicolaus ad Michaëlem Imperatorem in epistola secunda: *Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini; quatenus vicem quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanae sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaïam, Daciam ripensem, Daciamque mediterraneam, Moesiam, Dardaniam, & Prevalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus presumat, quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Celestini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicij, Felicis, atque Hormisdæ sanctorum Pontificum, sacris dispositionibusangebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros Missos, ut rei veritatem cognoscere queatis, vestre augustali potentia dirigere curavimus.* Omisit hoc loco librarius nomen Anastasij Papæ, qui inter Siricium & Innocentium sedit, quem verò vices suas per Illyricum commisisse Anyfio Thessalonicensi Episcopo constat ex Innocentij epistola ad Anyfium. Sanè locum hunc Nicolai esse valde corruptum ac mutilum nemo est qui non videat.

III. Nicolao succedat Ioannes III. qui ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum scribens, Bulgariam, id est, Illyricum, à Damaso Papa & sequentibus Pontificibus informatam fuisse ait. Referenda sunt autem ipsa viri verba: *Nullus autem ignorat, inquit, regionem Bulgarum à sanctæ memoriæ Damaso Papa & deinceps usque ad pagano-rum irruptionem à sedis apostolicæ Præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis atinet privilegium, moderatam; præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum Pontificum Romanorum res gestæ, quæ in regestis antiquitus nostræ reservantur Ecclesiæ, clariùs attestentur.* Respexit ad rescripta Pontificum quæ ab Holstenio edita sunt; de quibus etiam intelligenda sunt quæ idem ait in epistola sequenti, in qua scribit ad Episcopos & Clericos Græcos mirari se & vehementer

obstupescere quòd illi sanctorum patrum canones obturatis oculis relegissent, & calcata conscientia terminos æternos à patribus positos transtulissent, & in alienam messem iudicij falcem misissent, in Illyrici provincias, quas tum Bulgarum natio retinebat, ingredientes, & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & sacra Concilia sub sede beati Petri Apostolorum principis has olim provincias deguisse patenter innuant, & rerum gestarum à sancto Damaso Papa conscripta manifestè denuntiant.

IV. Sed instar omnium esse debet una Innocentij primi testificatio, ut qui non ita multò post Damasum in principali cathedra sedit. Hic enim ad Anyfium Acholij successorem scribens, ait se ipsi eandem potestatem committere quam à Damaso, Siricio, & Anastasio antè acceperat. Cui etiam (id est, Anyfio) tanti ac tales viri predecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir, (id est, Anastasius) ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur sanctitati tuæ, quæ plena iustitiæ est, traderent cognoscenda. Et in epistola ad Rufum, quæ ei delegat vices suas per Illyricum, non primitus hæc ita statuente, inquit, sed predecessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anyfio injungi pro eorum meritis ista voluerunt.

V. Sed adversus illa quæ de Damaso dicta sunt opponi potest epistola Siricij, qui Damaso proximè successit, ad Anyfium: in qua vices suas per Illyricum delegans huic Episcopo, quem Damasi Vicarium fuisse scribit Innocentius, nullam Damasi mentionem facit, haud dubiè facturus, si eadem auctoritas ab illo tributa Anyfio fuisset. Præterea Leo primus repèrens primordia vicariatus Episcoporum Thessalonicensium in epistola ad Anastasium quæ ab Holstenio edita est, à Siricio incipit, omisso Damaso. Vnde concludi potest initia istius vicariatus Siricio deberi, non autem Damaso, contra quam placuit Innocentio, Nicolao, & Ioanni Pontificibus Romanis. Itaque altius investigandum est, quarendæque ratio aliqua conciliandæ hujus controversiæ. Facem heic nobis commodissimè præferet epistola Leonis de qua mox diximus: in qua tamen vicariatum Thessalonicensem repetat à Siricij delegatione, indicat aliquam ante illum fuisse istiusmodi delegationem in Illyrico, sed quæ certa tum primum ratione firmata sit. Ex quo colligere possumus Damasum mandata interdum aliqua, ubi occasio tulit, dedisse Acholio & Anyfio, ceterum nihil mansurum sancivisse; hoc verò exemplo invitatum Siricium vices suas Anyfio commisisse

Joan. VIII.
epist. 78.

Idem epist. 79.